

*præferbantur vigintiquatuor*. Magistro Equitum sex tantum permissi erant. Dio 42. p. 197. de M. Antonio, qui Equitum Magister erat, scribit: *At Antonius, si vestitum ejus spectares, imaginem popularis status præferbat; prætexta enim utebatur: item si Lictores; non enim plures quam sex habebat*. Consuli duodecim, Prætori sex, dabantur; Quæstori nulli, Virginibus Vestalibus, in publico semper unus. Dio 47. p. 338. *Virginibus Vestalibus concesserant, ut singula singulis Lictoribus uterentur: Eo quod quædam ex iis a cœna, sub vesperam; domum revertens, cum quæ esset ignoraretur, vim passa fuerat*.

Ad Lictorum munus spectare; non solum alligare, asserunt quamplures, verum quoque virgis, immo etiam securi, percutere. Hinc iisdem videtur, Lictores parum a Carnificibus distinguendos esse. A ligando dictos Lictores volunt, apud Gellium 12. noct. actic. c. 3., Paulinus Arnolphinus, v. *fascēs*, & v. *Lictores*. Ad nutum enim Magistratûs Reo manus, pedesque, vinciebant; ob quod funes, compedesque, in sinu occultabant. Fascibus deinde explicatis, virgis verberabant, & aliquando etiam securi percutiebant.

At si Lictores inter Carnifices adnumerantur, non poterant homines quirites esse, etsi ex plebe fuissent; nec ubique in foro, & concione, Magistratibus apparere; quum, ex Cicerone, Carnifices ex foro, urbe, concione, sublati haberentur. Patiscus in re dubia suspicatur, Lictores tantum in cives Romanos lege egisse, perduellesque virgis, & securi, more Majorum, percussisse; Carnifices vero cruci affixisse, strangulasse, gulam fregisse, & alia supplicia servis, peregrinis, & iis, qui cives non erant, irrogasse.

Patisco tamen opponuntur, quæ ex Livio habemus;